

R. Matrimonium ad morganaticum contractum, et validum est et licitum: ita Konig, Schmalz et alii. Ratio primi, quia tale matrimonium per se nec est contra jus naturale, nec pontificium; ergo si fiat coram paroco et testibus, erit validum. Ratio secundi, quia pactum illud, vi cuius uxor cum futuris liberis non sequitur conditionem mariti, ex multis causis cohonestari potest; puta, quia maritus ex una parte vult esse extra periculum incontinentiæ; ex altera verò parte non vult præjudicare liberis prioris matrimonii per divisionem bonorum, quæ pluribus non sufficerent; et si minutim dividerentur, splendor familiæ deficeret. *Confr.* Matrimonium ad morganaticum contractum imitatur matrimonia Patriarcharum, quæ contraxerunt cum concubinis seu secundariis uxoribus, quarum filii non succedebant patri, ut patet in matrimonio Abrahamæ cum Agar ancilla, cuius filius Ismael eiectus est à possessione et hæreditate (*Gen. 21. v. 10.*); ergo sicut ista matrimonia erant licita, ita quoque licita sunt matrimonia ad morganaticum contracta. Ceterum, si pater, mutatis circumstantiis, vult revocare pactum morganaticum, id ei licebit, non obstante aliquo præiudicio priorum liberorum; nam tale pactum imitatur ultimam voluntatem de successione disponentem, quæ semper revocabilis est. Item liberi ex matrimonio morganatico nati admittuntur ad successionem in bonis allodialibus, si priores liberi eorumque descendentes deficiant, exceptis feudis, in quibus non succedunt (*lib. 2. F. tit. 29.*) — His non obstat *Can. 1 et 12. caus. 32. q. 2.*, et *Can. 9. dicat. 33. q. 4. et c. fin. h. t.*; nam non loquuntur de nostro casu.

Quæ hic dicta sunt de conditionibus, modo, causa et demonstratione, proportionaliter applicanda sunt aliis contractibus. Hodie verò curabit parochus, ut matrimonia purè contrahantur, nihilque eis admisceatur sine causa urgentissima.

## TITULUS VI.

### QUI CLERICI, VEL VOVENTES MATRIMONIUM CONTRAHERE POSSINT. <sup>a</sup>

58. In hoc titulo examinantur tria impedimenta; duo dirimentia, scilicet, Ordo sacer et professio religiosa; et unum tantum impediens, scilicet, votum simplex castitatis.

59. Q. I. *An, et quo jure Ordo sacer dirimat matrimonium?*

R. 1.º Dirimit, sed solo jure Eccles. Prima pars habetur *Can. 8. d. 27. c. 1. de Cler. conjugat. c. un. de voto in 6.*, *Trid. Sess. 24. Can. 9.*; nam

<sup>a</sup>—Agitur de hac materia in Sexto tit. de voto.—In Decreto dist. 27. 28. 30. et seq. et 17. q. 1. 2 et 27. q. 1. per tot.—In Trid. S. 24. Can. 9.

sacris Ordinibus annexa est continentia seu votum solemne castitatis, quod obstat valori matrimonii. Secunda pars est comm. cum S. D. 2. 2. q. 88. ar. 11. contra Major. stantem pro jure divino. Nam Ordo sacer non dirimit matrimonium contrahendum jure naturali, quia matrimonium absolute non contrariatur ministeriis clericalibus, ut patet in Ecclesia orientali; neque jure divino positivo, quia hoc non constat ex verbo divino scripto aut tradito; ergo jure Ecclesiastico antiquo, et ab Apostolis constituto (*Can. 40. ut lex 27. q. 1.*) Vis autem solvendi matrimonium ratum non competit Ordini sacro, ut definitur *c. un. de voto in 6. et Extrav. un. Jo. XXII. de Voto.*

2.º Ordinatus invalide, non obligatur voto continentiae: non solemni, quia hoc annexum est validæ ordinationi: non simplici, quia votum accessorie emissum est; ergo corrumpente Ordine tanquam principali, corrumpit votum tanquam accessorium.—Nec obstat *c. 3 et 12. de convers. conjugat.*; nam in professione religiosa votum castitatis per se et principaliter emititur; ergo ex juris interpretatione, si non valet ut solemne, valet saltè ut simplex.

3.º Ordo sacer collatus infanti non dirimit matrimonium, quia non est credibile, quòd Ecclesia infantem ligare voluerit lege continentiae, nisi ad usum rationis perveniens, expressè vel tacitè, exercendo actum Ordinis sacri, ratificasset suam ordinationem. At impubes ratione pollens, sicut in ordinatione validè potest emitte votum castitatis, ita quoque obligatur ad continentiam; uti et metu ordinatus, licet pro illo ex causa immaturi iudicii, et pro isto ex causa metus injustè incussi, facillè obtineri posset dispensatio in voto continentiae. Opposita sententia docens nec impuberem, nec metu coactum obligari ad continentiam, non videtur improbabilis. Si verò ordinatio facta est per vim absolutam, non valet, et consequenter ex illa non oritur obligatio continentiae (*c. 3. de baptismo.*)

4.º Quamvis conjugatus regulariter nec ad primam tonsuram sit admittendus (*c. fin. de tempor. ord. in 6.*), si tamen sacris Ordinibus initietur, uxore inscia vel invita, ordinatio quidem valet; sed ille ab uxore revocatus, tenetur debitum reddere, non tamen petere potest, obstante voto castitatis (*arg. cap. 3. de convers. conjugat.*), nisi legitimum et perpetuum inter eos divortium factum fuisset: quo casu maritus innocens sacris initiari potest.—Uxor, qua consentiente, maritus sacros Ordines suscipit, tenetur emitte votum continentiae, et si suspecta est de incontinentia, Religionem profiteri, ut dixi *tit. de convers. conjug.*; mortuo marito Clerico in sacris constituto, uxor superstes impeditur à contrahendo matrimonio ob reverentiam Sac. Ordinum (*Can. 10. et seqq. d. 28. Can. 14. d. 32.*) Si tamen consensus illius in ordinationem mariti vi, dolo aut metu gravi extortus est, non ligatur hoc impedimento, ne delicto alieno prægravetur.

60. Q. II. *An professio religiosa solemnis dirimat matrimonium contrahendum, et quo jure?*

R. Ad primum: Affirmativè: ita conformiter antiquis Canonibus sub anathemate definivit Trident. Sess. 24. Can. 9.; nam professio religiosa

est spirituale vinculum cum Christo, et quædam mors civilis; ergo non admittit matrimonium, dummodo sit valida.

*Ad secundum:* Professio solemniter religiosa jure naturali et divino dirimit matrimonium contrahendum, et consequenter non mero jure Ecclesiastico: ita contra plerosque RR. tenent cum S. D. in 4. d. 38. q. 1. ar. 3. in corp. magni nominis DD. allegati à Sanchez lib. 7. de matr. disp. 26. n. 3., ubi doctor iste solidissimus eandem sententiam tenet, conformiter summario. Proponitur sententia auctoris n. 3, licet nonnemo illam corrigere voluerit, sed sine effectu; uti et *disput. præced.* sententiam propositam n. 7, quæ propria est auctoris, ut patet ex summario n. 7, quas correctiones ante me plures viri hujus auctoris lectores observarunt.—*Probatur* 4.<sup>a</sup> pars. Jus naturale dicitur, quod res uni plenè et perfectè tradita, eodemque modo acceptata, non possit iterum validè alteri tradi: nemo enim dat aut transfert quod non habet: v. g., titulo justitiæ tradidisti equum emptori, non potes deinde eundem tradere Ecclesiæ titulo Religionis aut voti, et e contra: sed homo per professionem religiosam pleno et perfecto modo tradit se Deo et Religioni, eodemque modo traditio ista acceptatur contractu ultrò citròque obligatorio; ergo de jure naturali validè nequit se tradere uxori, cum amplius liberam sui corporis potestatem non habeat. Tum quia ex natura rei repugnat, ut quis eandem rem tradat duobus secundum jura contraria; sed religiosus professus tradit corpus suum Deo cum jure et obligatione continendi seu abstinendi ab omni actu venereo, etiam licito; ergo non potest corpus suum tradere uxori cum jure contrario et obligatione exercendi actus conjugales.—*Prob.* 2.<sup>a</sup> pars, de jure divino, Matth. 19. v. 12, ubi Christus religiosam castitatem proponens ait: *sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum caelorum:* quibus verbis significatur perpetua inhabilitas ad matrimonium. Hoc jus scriptum magis nobis declaratur Verbo Divino tradito; quia nulla existente lege Ecclesiastica, ita semper à principio Ecclesiæ observabatur tanquam à Domino acceptum: unde Siricius Papa *Can. 17. v. velatæ* 27. q. 1., dicit religiosos matrimonia contrahentes debere separari *Verbo Domini et Canonica auctoritate*; ergo non mero jure Ecclesiastico, sed divino et naturali. Ratio est, quia Christus Dominus instituit statum religiosum segregatum à statu conjugali, ut patet ex *Matth.* 19; ergo annexit ei impedimentum dirimens matrimonii contrahendi; aliàs unum ab altero non discrevisset. *Confr.* ab inconvenienti. Si professio religiosa solo jure Ecclesiastico dirimit matrimonium, sequitur:—I. Quod Papa possit tollere jus istud, et statuere ne matrimonium dirimatur per professionem religiosam: quod sanè discordat cum antiqua Patrum doctrina, ut patet ex *Canonibus causæ* 27. qu. 1.—II. Quod Papa cum religioso in sensu composito Religionis dispensare possit ad matrimonium, cum istud solo jure pontificio incompatible esset cum statu religioso: sequela autem ista est contra torrentem DD. et apertam definitionem *cap. 6. cum ad monasterium, in fin. de statu Monach.*, ubi Inn. III. asserit, nec Papam dispensare posse in paupertate et castitate religiosa: quæ definitio ad minus intelligenda est de dispensatione in sensu composito Religionis.—III. Quod religiosi apostata-

tæ in locis hæreticorum, ubi pleraque impedimenta matrimonii, jure Ecclesiastico introducta, abrogata sunt, validè matrimonium contrahant: quod falsum esse, praxis continua Ecclesiæ docet etc.

*Obj.* I. Juri naturali eadem res modo diverso pluribus tradi potest, sicut servus traditur domino et uxori; ergo et religiosus, qui titulo Religionis tradidit corpus Deo, potest illud titulo justitiæ tradere uxori.—II. Votum religiosum solemnè vel dirimit matrimonium, *ut votum est*, vel *ut solemnè est*. Non primum; aliàs omne votum castitatis dirimeret matrimonium; ergo secundum: solemnitas autem votorum ex sola constitutione Ecclesiæ inventa est (*c. un. de voto in 6.*)—III. Votum simplex, saltè religiosum in Soc. J. ab intrinseco non differt à solemnè per *c. 6. h. t. et Constit. Greg. XIII. incip. Ascendente Domino*; ubi declarat Scholasticos et Coadjutores non formatos S. J. esse verè et propriè religiosos, *non secus, ac ipsos tum Societatis, tum aliorum Regularium professos*.—IV. Olim professio religiosa non dirimebat subsequens matrimonium (*Can. 22. 24. cum seq. 27. q. 1.*); ergo impedimentum istud hodie habetur ex solo jure Ecclesiastico.

*R.* *Ad I. D. A.* Modo diverso, hoc est, secundum diversum jus, *C. A.* Modo diverso hoc est, ex causa et titulo diverso, *N. A.* Aliàs qui titulo Religionis, v. g. ex voto tradidit Ecclesiæ centum florenos, posset deinde illos titulo justitiæ tradere alteri creditori, et titulo gratitudinis tertio benefactori. Est ergo æquivocatio in termino *modo diverso*; nam si intelligatur præcisè causa diversa seu diversus titulus, falsum est rem uni pleno jure traditam, posse alteri tradi diverso titulo: ut patet ab exemplis allatis et omnibus causis seu titulis translatis dominii. Si verò intelligatur *diversum jus*, verum est eandem rem pluribus tradi posse; sicut uni tradi potest proprietas, alteri dominium utile aut usufructus, tertio usus etc. Et sic accidit in servo; nam is traditus est domino quoad operas et effectus civiles dominicæ potestati subjectos: at quoad jus utendi corpore per generationem, non est traditus domino, neque hoc jus subest potestati dominicæ; aliàs dominus uti posset corpore ancillæ, et domina corpore servi; et ideo servus quoad hoc jus potest se tradere uxori. E contra religiosus, quoad jus corporis sui, plenè et pro perpetuo per professionem tradidit se Deo et Religioni titulo Religionis mixto cum titulo justitiæ ratione contractus ultrò citròque obligatorii, et vis talis juris in Deum translatis in radice contraxit obligationem continendi, ut ante probavi; ergo cum jus istud sui corporis non habeat, ex ipsa natura rei, non potest se tradere uxori, et ad actus conjugales primæ traditioni contrarios obligare. Quæ eadem ratio est, cur uni uxori traditus non possit se alteri tradere, quia amplius non habet, quod validè tradat.

*Dices:* Traditus uxori, potest matrimonio consummato de licentia uxoris tradere se Deo per professionem religiosam; ergo traditiones istæ et vincula sibi non adversantur de jure naturali.

*R.* *N. C.* pro nostro casu; nam si uxor remisit jus suum, nulla est repugnantia, cur maritus per professionem nequeat se tradere Deo per professionem. Ità in casu, quo servum dedi Cajo ad usumfructum, si is re-

mittat jus suum, possum eundem servum tradere Ecclesiae ad usum etc. At si professio religiosa praecessit, nulla ad professum redit potestas corpus suum tradendi uxori, nisi Deus jus sibi quaesitum remitteret et redderet potestatem corpus suum tradendi uxori: quo casu homo desineret esse religiosus, vel forsàn maneret religiosus in habitu, et mortua uxore, teneretur vota reddere Domino, et ad Religionem redire.—*Ad II.* dico, quòd dirimat, non *ut votum in genere, sed ut votum tale in specie*, scilicet continens perfectam, absolutam et perpetuam traditionem sui, cum simili acceptatione; quae intrinseca ratio in nullo alio voto reperitur: non in voto simplici, quod promissionem continet sine traditione, et ideo, stante tali voto, validè corpus traditur uxori; non etiam in voto simplici religioso S. J.; quia hoc, licet habeat traditionem, non tamen habet traditionem perfectam et absolutam ultrò citròque obligatoriam, sed praecise conditionatam, quamdiù quis in Societate manserit; et ideo spectato jure naturali (secus de jure pontificio) Scholasticus S. J. validè contrahere posset matrimonium absolutum, non secus, ac ille, qui se tradidit uxori per matrimonium conditionatum, pendente conditione, validè contrahit matrimonium absolutum; quia traditio pura et absoluta praevalet conditionatae. Solemnitates ab Ecclesia praescriptae non constituunt ipsam professionem perfectam, sed sunt conditiones extrinsecae necessariò requisitae, sine quibus talis professio non ponitur; sicut sine praesentia parochi et testium non ponitur matrimonium.—*Ad III. N. A.* ex dictis, de qua materia vide meas resolut. *Can. tit. de Regular. resolut. 3*, et Sanchez *cit. lib. 7 disp. 25. n. 7.*, ubi ponitur propria sententia auctoris.—Nec doctrina ista obstat *cit. cap. 6. h. t.*; nam votum simplex non minus obligat, quantum ad hoc, quod transgressor alterutrius peccet mortaliter: at in modo obligandi est diversitas; quia simplex obligat ratione promissionis; solemne verò, ratione traditionis; et ideo S. D. 2. 2. q. 88. ar. 7 ad 4 respondet: *Votum solemne habet fortiolem obligationem apud Deum, quam votum simplex, et gravius peccat, qui illud transgreditur*: et in 4. d. 38. q. 4. ar. 2 docet votum simplex et solemne differre specie, sicut vegetativum et sensitivum; quia virtus voti completè est in voto solemni, cum traditione compleatur; incompletè in voto simplici, quia traditione non completur; et ideo ligatus voto simplici castitatis validè corpus tradit per matrimonium, licet non licitè, agendo contra promissionem Deo factam.—Nec doctrina ista periculum affert Constitutioni Gregorianae; nam Scholastici et Coadjutores non formati ordinatissimae Soc. J. sunt verè et propriè dicti religiosi, quoad genericum conceptum veri religiosi; cum religiosus status consistere possit cum votis simplicibus continentibus traditionem de se stabilem, et ad placitum tradentis non revocabilem: at differunt à professis quoad conceptum specificum, quia vota illorum ab intrinseco non continent perfectam et absolutam traditionem et acceptationem utrinque obligatoriam. Vel, ut alii loquuntur cum P. Sanchez (quod reipsa in idem redit) idem specie est status religiosus: professi tamen sunt in summo et perfectissimo status religiosi gradu et dignitate, consistente in absoluta te omnimoda traditione completa utrinque obligatoria, qualis non repe-

ritur in statu religioso votis simplicibus constante.—*Ad IV. N. A.* cum Bellar. et omnibus aliis rectè sentientibus de statu religioso à Christo instituto, et ab Apostolis ceterisque fidelibus assumpto; cum inauditum sit in Ecclesia, religiosum professum sua auctoritate validè ad matrimonium transivisse.—Nec contrarium probatur ex *citt. cann.*; nam tales excommunicantur, donec se dividant, et ad monasteria regrediantur; et ita quoad absolutionem et alias poenas poterit Episcopus cum eis humanitatem facere. Hic tamen observa, quòd virgines sacrae, praesertim antiquis temporibus, in duplici classe fuerint; aliae emittebant votum simplex castitatis, etiam habitu et velamine assumpto, et in privatis domibus habitabant, vel etiam in monasteriis educabantur vel morabantur, et haec, si fracta fide, nuptias contraxerunt, jubebantur manere cum marito, sicut *c. 4. h. t.*, estque talium virginum frequens mentio apud Patres, et in antiquis canonibus; imò et virorum, qui in claustris morabantur, quin facti fuerint veri monachi. Aliae autem virgines emittebant votum triplex professionis religiosae, quam vocamus modò *solemnem*; et in his, uti etiam in viris professis aliud observabatur; quia contrahentes nuptias separari debebant *sive involiti, sive voluntarii*, et per censuras compellebantur redire ad monasteria, ut ex Apostolo docet S. Gregor. *Can. 2 cum seq. 27. qu. 1.* A ceteris argumentis, quae hic objici solent, abstineo; tum quia levia sunt et ex dictis soluta manent; tum quia non est mihi propositum disputatoriè scribendi. An, et quomodo professio religiosa dissolvat matrimonium contractum, dicam *tit. 49 de divort.*

61. Q. III. *An votum simplex continentiae inducat impedimentum impediens matrimonii?*

R. 1.º Votum simplex continentiae autecedens sponsalia, impedit matrimonium licitè contrahendum; et consequenter sequentia sponsalia etiam jurata, vel per copulam firmata, jure naturali reddit invalida: ita ex antiquis canonibus generaliter deciditur *c. 4 et 6. h. t.* Nam spectato jure naturali, res uni promissa nequit validè alteri promitti; sed vovens per votum continentiae promittit Deo corpus ab omni actu venereo, etiam licito custodiendum; ergò vovens nequit validè alteri corpus promittere per sponsalia; praesertim, cum talis promissio tenderet ad usum conjugalem voto contrarium. Unde sequens promissio sponsalitia est invalida, etsi puella voti ignara deflorata sit, cuique imminet damnum aliter non reparabile, quam per matrimonium, ut tenent Laym., Schmier et alii; quia per istam deflorationem non potest tolli Deo jus ex voto quaesitum: neque ullo jure aut solida ratione constat, hanc vim seu privilegium solvendi obligationem voti esse attributum deflorationi. Unde in tali casu, quo defloratae voti ignarae imminet damnum aliter non reparabile, quam per nuptias, de alio remedio cogitandum est; scilicet, ut petatur dispensatio, ad quam petendam dolosus deflorator obligatur.

*Dices:* Cum Sanch., Schmalz et aliis:—I. Votum non obligat, rebus notabiliter mutatis, ut in hoc casu.—II. Filius, postposito voto Religionis, tenetur manere in saeculo ad succurrendum patri, et debitor ad satisfaciendum creditoribus; ergò et deflorator tenetur in hoc casu ducere de-

moratam, non obstante voto; quia obligatio justitiæ est fortior obligatio Religionis.

*R. Ad I. D. A.* Si mutatio accidat ab extrinseco, vel moralem impotentiam indicat exequendi votum, *C. A.* Si accidat ex prava voluntate voventis, *N. A.* Alias quisque per delictum vellet se à voto liberare.—*Ad II. N. C.* Quia nec filius, nec debitor in his casibus assumit statum contrarium voto, sed hujus executio tantum differtur ob necessitatem; at deflorator assumeret matrimonium voto contrarium; quod in præjudicium juris Deo quæsiti illi non licet. Nec tali casu est obligatio justitiæ ad matrimonium; quia sponsalia sunt invalida, licet damnum illatum alio modo reparandum sit; puta per procurationem dispensationis. In obligationibus Religionis et justitiæ, servatur reg. *qui prior tempore in 6.*: sic enim qui per votum vineam promisit Ecclesiæ, licite eam non vendit et tradit.

2.<sup>o</sup> Votum simplex continentia consequens sponsalia, parit impedimentum impediens matrimonii, et consequenter dissolvit priora sponsalia ex utraque parte: ita *S. D. in 4. d. 38. q. 1. art. 8. qu. 2.* Cajet., Avers., Azor., Salmant. et alii contra Sanch., Laym., Zoes etc., licet Sanch. *lib. 4. de matr. disp. 46. n. 7. in fin.* dicat, sententiam nostram esse probabilissimam et tutissimam. *Prob. I.* Juxta *cap. 3. et 6. h. t.* votum simplex continentia, si validum est, impedit matrimonium licite contrahendum; sed votum simplex continentia post sponsalia emissum, est validum et licitum: tum quia nullo jure invalidatur vel illicitum redditur; tum quia religiose servari potest, sicut votum castitatis emissum post nuptias; tum quia *Papa c. 5. h. t.* dispensat in tali voto, adeoque supponit esse validum; ergo tale votum post sponsalia emissum impedit matrimonium licite contrahendum; præsertim cum jura omnia sine distinctione dicant, per votum simplex castitatis impediri licitum matrimonium: ac proinde adversariis incumbit onus probandi, quod votum sponsalia consequens alicubi excipiatur. *Prob. II.* Sponsalibus inest tacita conditio: *nisi perfectiorem et Deo gratiorem statum elegero* (*arg. c. 2. de convers. conjug. et c. 4. de voto*), ubi licet sermo sit de transitu ad Religionem, ejusque voto, rectè tamen dispositio ista intelligitur de statu perpetuæ continentia: tum quia jus ad rem ex sponsalibus quæsitum non debet impedire statum perfectiorem; siquidem *omnis consideratio non est digna animi continentis* (*Eccl. 26.*), tum quia *propositum aut promissum non infringit, qui in melius illud commutat* (*c. 3. de jurej.*); tum quia matrimonio rato inest tacita conditio: *nisi Religionem elegero*; adeoque sponsalibus etiam minor conditio inesse credenda est; puta *nisi continentiam elegero*; ergo si post sponsalia votum continentia emittatur, solvit illa ex utraque parte, ne ad illicitum obligare videantur. *Prob. III.* Sponsalibus inest hæc generalis conditio: *nisi impedimentum superveniat*, sive tale impedimentum oriatur ex actu malo, sive ex bono, ut ex fornicatione cum sorore sponsæ, ex assumpto Ordine, ex cognitione spirituali etc.; sed votum continentia est impedimentum matrimonii; quis enim hoc neget?; ergo sponsalia ineuntur sub tacita conditione; *si votum continentia non superveniat*; ergo si superveniat, non tantum alteri parti dat justam causam resiliendi à sponsalibus, sed etiam

sponsalia solvit ex parte voventis. Idem dic de voto suscipiendi Sac. Ordines, quibus in Ecclesia latina annexum est votum continentia. His non obstantibus, fateor oppositam sententiam esse valde probabilem, pro qua:

*Obj. I. C. 5. h. t.* sponsæ voventi continentiam imponitur pœnitentia, ibi: *sibi de mentita fide etc.*—*II.* Deus nec votum, nec juramentum acceptat in præjudicium tertii (*c. 28. de jurej.*); si enim donasti vel promisisti Titio decem aureos, deinde per votum non potes illos promittere Deo; sed votum superveniens est in præjudicium sponsæ.—*III.* Speciale et exorbitans est, quod sponsalibus insit hæc conditio; *nisi Religionem elegero*; ergo trahi non debet ad aliam conditionem: *nisi continentiam elegero*.—*IV.* Si per tale votum solvantur sponsalia, sequitur quod dispensatus in voto, possit matrimonium cum alia inire, sed non, quia per hoc via injustitiis aperiretur.

*R. Ad I.* Sponsa ista in hoc fuit culpabilis, quod absque justa causa diu distulerit implere sponsalia, et temerè provolaverit ad votum, non animo Deo placendi, sed sponsum fraudandi; et ideo pœnitentia ei imponi debuit de mentita fide, et de attentata violatione voti per aliud matrimonium infringendi. Ex quo capite patet communem opinionem fidelium fuisse, per votum continentia solvi sponsalia; alias puella inutiliter et sine effectu convolasset ad votum, si eo non obstante, obligata fuisset ad contrahendum matrimonium.—*Ad II. N. m.* Nam sponsis non est jus quæsitum absolutè, sed conditionatè, *nisi meliorem statum elegero*, vel *nisi impedimentum superveniat*. Quod si per accidens vovens causet damnum alteri parti, tenetur illud reparare: et si aliter nequeat reparari, quàm per matrimonium, tenetur ad petendam dispensationem voti: quod tutius esse nec adversarii negant.—*Ad III.* In hac conditione: *si impedimentum non superveniat*, nulla est exorbitantia; ergo rectè applicatur nostro casui. Ista verò conditio: *nisi meliorem statum elegero*, ob excellentem favorem continentia et paritatem rationis, censetur comprehensa in *c. 4. de voto*.—*Ad IV. N. S.* Nam votum continentia non dissolvit sponsalia, nisi ad effectum servandi continentiam, sicut votum Religionis ad effectum professionis.

3.<sup>o</sup> Votum non nubendi reddit sequentia sponsalia invalida et illicita; quia hæc obligarent ad aliquid illicitum voto contrarium. Quia verò tale votum est valde imperfectum, de quo SS. Canones nihil disponunt, facile admitti potest per illud consequens non dissolvi sponsalia anteriora. Si quis cum tali voto matrimonium contraxit, illicitè quidem egit; tamen contracto matrimonio, licitè uti potest petendo et reddendo debitum; nam objectum hujus voti, scilicet, *non inire matrimonium*, transivit in impossibile, cum matrimonium sit initum; ergo cessat illius obligatio. Idem probabiliter dic de eo, qui vovit suscipere SS. Ordines, et post votum contraxit nuptias, quia cessante principali obligatione suscipiendi Ordines, cessat etiam accessoria obligatio continendi. Secus est in illo, qui per se vovit castitatem perpetuam: quia hoc voto obligatur etiam post nuptias, ne debitum licitè petere possit, licet obligetur reddere.

62. Q. IV. *An votum amplectendæ Religionis inducat impedimentum licitè contrahendi matrimonium?*

R. 1.<sup>o</sup> Affirmativè; nam jus ex Christi institutione non tantum post sponsalia, sed etiam post matrimonium ratum cuilibet permittit ad statum religiosum transire, etsi sponsalia qualificata sint per juramentum, utpotè accessorium sponsalium (*cap. 2. 14. de convers. conjug. c. 4 de voto*); nam sponsalibus et matrimonio rato inest tacita conditio: nisi Religionem elegero.—His non obstat. *c. 16. de sponsal.*; nam ibi sponsus nondum plenè statuit ingredi Religionem, sed habuit quoddam propositum inefficax, quod Papa vocat *legem privatam*, seu legem complacentiæ erga statum religiosum, ut patet ex verbis *si postea elegerit*: quia verò biennium contrahendo matrimonio præfixum ad finem vergebat, ne fieret perjurus, ideo Papa rescripsit, tutius esse matrimonium contrahere, et deinde, si elegerit, ad Religionem transire. Gonz., Suar. etc.

2.<sup>o</sup> Vovens ingressum Religionis post sponsalia, etiam jurata, regulariter nequit licitè contrahere matrimonium cum proposito ante illius consummationem ingrediendi Religionem: ita Sanch. et alii contra Ant. de Butrio, Petrum de Ledesma etc. Nam ita contrahens exponit se manifesto periculo violandi votum, derogat dignitati voti et status amplectendi, præjudicat sponsæ, quæ cogetur esse sine nuptiis, donec ille vel profiteatur, vel è novitiatu egrediatur. Excipe, nisi id exigeret damnum puellæ defloratæ, metus admittendæ famæ aut vitæ, vel alia gravis causa: si tamen contraheret, et mutata voluntate consummaret matrimonium, illicitè contra votum ageret, cum post matrimonium ratum adhuc potuerit voto satisfacere. At imposterum licitè petit et reddit debitum, quia materia voti, scilicet, ingressus Religionis, evasit impossibilis; ergò cessat obligatio voti, et consequenter ea omnia, quæ annexa sunt Religioni, uti servare continentiam. Solutio matrimonio aut per mortem, aut divortium perpetuum, reviviscit obligatio voti Religionis, et urget ad ingressum, sicut soluto matrimonio, reviviscit votum continentiam impediens aliud matrimonium: quia vota ista per matrimonium non extinguuntur, sed suspenduntur.

3.<sup>o</sup> Votum amplectendæ Religionis, vel ingressus in novitiatum ex parte ingredientis non solvit sponsalia, nisi secuta professione: ita Henric., Laym. et alii com. contra Navar., Gutier., Sanch. etc. Nam obligatio sponsalium non est impossibilis cum novitiatu, cum nec impossibilis sit cum matrimonio. Tum quia si novitiatus solveret sponsalia ex parte novitii, daretur occasio fraudulenter disolvendi sponsalia per fictum ingressum; ergò. At pars in sæculo manens habet justam causam resiliendi à sponsalibus, ut communis tenet contra Covar., Palud. etc.: tum quia novitiatum ingrediens, tacitè et ipso facto renuntiat juri quæsito ex sponsalibus, tum quia quasi statum mutat: quæ causæ sunt sufficientes ad resiliendum à sponsalibus.

## TITULUS VII.

DE EO, QUI DUXIT IN MATRIMONIUM QUAM POLLUIT PER ADULTERIUM. <sup>a</sup>

63. Præsens rubrica est strictior nigro; quia impedimentum criminis, de quo tractatur *h. t.* non solum oritur ex adulterio, sed etiam ex homicidio alterius conjugis. Est autem hoc impedimentum dirimens; et specificè vocatur impedimentum *criminis*, licet impedimentum *metus et raptus* etiam ex delicto oriantur: sed hæc servant sua propria nomina.—De crimine tantum impediendo agetur *tit. 16.*

64. Q. I. *Quibus modis incurratur impedimentum criminis dirimens matrimonium?*

R. 1.<sup>o</sup> Quatuor modis: duobus quidem ex causa adulterii, et duobus ex causa homicidii. Et—I. Si adulteri, vivente conjugè altero, matrimonium de facto iniverunt (*c. 5. h. t.*)—II. Si adulteri promissionem fecerunt futuri matrimonii post mortem alterius conjugis ineundi (*c. 6. 7. et fin. h. t.*)—III. Si adulterio non commisso, ambo machinentur in necem alterius conjugis cum effectu, seu secuto conjugicidio (*c. 1. de convers. infidel.*)—IV. Si commisso adulterio, unus ex adulteris occidat proprium, vel adulteri conjugem animo cum illo contrahendi matrimonium (*Can. 5. si quis 31. q. 4.*) Ratio hujus impedimenti ab Ecclesia introducti est: *ex parte adulterii*, ut segura sit conjugum fides, amor et vita, omnisque occasio captandæ mortis alienæ tollatur. *Ex parte homicidii*, quia atrocitas tanti criminis erga conjugem admissi meretur istam inhabilitatem; tum maximè, quia suppositis his criminibus, turpe et inhonestum scandalique plenum est tales personas inter se copulari.—Nec obstat factum Davidis occidentis Uriam, et cum adultera Betsabea contrahentis; nam in veteri testamento non fuit hoc impedimentum, licet in novo testamento ob dictas rationes rectè sit introductum.

2.<sup>o</sup> Ut crimen ex adulterio dirimat matrimonium, debet esse:—I. Adulterium *formale*, non *materiale*, propter ignorantiam vel invaliditatem prioris matrimonii, completum in sua specie, et durante eodem matrimonio consummatum.—II. Debet cum adulterio copulativè concurrere, vel matrimonium actuale de facto, vel promissio matrimonii ineundi post mortem alterius conjugis: et quidem seria, non ficta, sive ista præcedat adulterium, sive sequatur, constante priori matrimonio, sive fiat in actu adulterii, dummodo promissio sit expressè acceptata ab altera parte; siquidem tacens in hac materia odiosa non habetur pro consentiente. Et

<sup>a</sup>—Agitur de hac materia in Decreto 31. q. 1. per tot. et 32. q. 4. et 7.